



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

Axioma I. Omnis liber est genuinus, qui genuinus habitus est ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus eum aetatibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

## AXIOMATA.

## AXIOMA I.

Omnis liber est genuinus, qui genuinus habitus est ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus eum aetatibus.

I. **H**OC Axioma si quis vocaverit in controversiam, jam certum nihil habebit in literis. Cæsaris Commentarios genuinos esse non aliunde scio, quam ex proxime consequentium aetatum, aliarumque iis succedentium constanti testimonio: nam & genuinos agnoscunt Cicero, & Hirtius, ac deinde Strabo, tum Suetonius, & Plutarchus, & Grammatici postmodum veteres, ac reliqui subinde ad hanc usque aetatem Scriptores. Ludovici XI. Francorum Regis gesta persecutus est Philippus Cominaeus. Hunc Historiæ, quæ ipsi adscripta est, verum esse auctorem credimus, quia id à Matthæo Attrebate domestico ipsius audivit Johannes Sleidanus, & aliis ipse postea prodidit, unde & nos demum accepimus. Idem Axioma usurpabat Moses, cum beneficiorum Dei, totiusque Historiæ sacrae veritatem apud populares suos comprobare vellet. *Hæcine, inquit, reddis Domino, popule stulte & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi: quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël.* Simile illud est Psalmi septuagesimi septimi: *Quanta audivimus & cognovimus ea, & Patres nostri narraverunt nobis? Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera, narrantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus que fecit. Et suscitavit testimonium in Jacob, & legem posuit in Israël. Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant.* Augustinus quoque adversus Faustum Manichæum, adulteros esse Novi Testamenti libros fingentem, hoc ipso Axiomate pugnat. *Platonis, inquit, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibi met succedentium contestatione continua? Multi multa de literis Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio, sive discendi: unde constat quid cujusque sit, nisi quia his temporibus quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuarit atque edidit, & inde in alios atque alios continuata notitia, latiusque formata, ad posteriores etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quisque liber sit, non hæsitemus quid respondere debeamus? Quod si quis ne id quidem ad fidem faciendam satis firmum putet, videat quo argumento probare possit proavita bona hæreditario jure ad se pertinere: nec tutior est enim publicarum tabularum, aut domesticorum instrumentorum auctoritas, quam historiæ: imo etiam infirmior, illorum enim custodes sunt pauci homines & obscuri, hujus vero universus orbis. Atenim, inquit, supponuntur quandoque libri, suppositus est Prochori liber De vita Johannis, suppositus est & ille Abdæ Babylonij De certamine Apostolorum, atque ita non rudibus solum & imperitis, sed acutioribus etiam fit fucus & eruditionibus. Contingere id quidem potest, si auctorum jampridem fato functorum usurpatur nomen, & aliquando sane contigisse fatendum est, vivis illis, vel nuperrime defunctis, vix ac ne vix quidem fieri potest: nam quis id pateretur, se vivo? quis non suppositionem proderet? Ne id quidem adversum recens defunctos licet, quippe reclamarent amici, propinqui, hæredes, quorum in potestatem scripta defuncti ac libraria omnis supplex venisset. Neque vero ausit id ipse hæres, eruditione, si forte, inferior, stilo dissimilis. Præterea quæ facti gratia? quæ merces in re literaria, unde quaestus nullus, nulla viro alienum nomen usurpanti, suum dissimulanti gloria? Denique demus id quoque, supponi posse libros vivis scriptoribus, vel recens defunctis, quid, testamenta nonne supponuntur? nonne adulterantur tabulæ? num propterea nulla est testamentorum, vel tabularum auctoritas? quæ si manet integra, ut certe manet, manere quoque integram librorum illorum fidem æquum est, juxta Postulatum secundum. Progrediamur itaque ad aliud Axioma, quod est hujusmodi:*

B ij

*Axiomatis  
primi veritas  
confirmatur.*

*Deuter. 32. 6,  
7, 8.*

*Psalm. 77. 1, &  
2.*

*August. libr. 33.  
adv. Faust. cap.  
6.*